

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

Wiegand, Wilhelm

Straßburg, 1879

1190 - 1202

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

143. *Bischof Konrad von Straßburg fordert alle Angehörigen seiner Diocese zu Beiträgen für den Neubau des Straßburger Münsters auf. [1190-1202].*

C[unradus] dei gratia Argentinensis ecclesie humilis minister omnibus ecclesie dei prelatibus, abbatibus, prepositis, decanis, plebanis et eorum vicariis salutem et fraternam in domino dilectionem. quanta reverentia excolendus sit locus Argentinensis ecclesie, in qua memoria beate dei genitricis veneratur et colitur, dilectioni vestre notum fore non ambigimus. hec enim spiritalis mater vestra salutem vobis corporis et anime per baptismi mysterium et consecrationem sacri crismatis et sacra-
 ti olei jugiter administrat. hec etiam facit iudicium omnibus injuriam patientibus, tutelam rerum et corporum conferens omnibus ad se confugientibus. preterea^a quam sumptuoso et laborioso opere ipsa ecclesia in meliorem statum reedificetur, notum est omnibus ipsum locum frequentantibus. ad quod perficiendum quoniam urbanorum nostrorum manus non sufficiunt, a vobis tamquam a piis filiis mater vestra Argentinensis ecclesia auxilium dulci petit affectu. unde vestram rogamus fraternitatem et in remissionem peccatorum vobis injungimus, quatinus latores presentium cum testimonio sigilli nostri ad vos venientes benigne recipiatis et in quantum potestis hilariter eis assistatis, ut per eos nobis et fratribus et urbanis nostris boni odoris fama de vobis renunciatur et vestre benivolentie et largitatis munera collaudentur. subjectos quoque vestros instanter ammonetis, ut hanc primam hujus ecclesie petitionem benigne suscipiant et ad perficiendam domum beate dei genitricis dona et oblationes suas hilariter tribuant, ut ipsa eis domum eternam in celis preparare dignetur. omnibus ergo, qui dona et oblationes suas ad opus jam dictum contulerint, per gratiam spiritus sancti et auctoritatem beate Marie indulgentiam a domino peccatorum suorum optamus^b et omnium bonorum, que infra ambitum Argentinensis civitatis tam in missis quam in diurnis et nocturnis horis fiunt, communionem eis damus. si qui vero, quod absit, latores presentium impedire vel molestare presumpserint, offensam dei et nostram graviter se incurrisse sciant et insuper intollerabilem beate dei genitricis vindictam et hic et in futuro recipiant. qui vero aliquod supplementum jam dicte ecclesie contulerint, centuplam mercedem ab ipsa beata virgine et a filio suo recipient prestante domino nostro. amen.

B aus Straßb. Bez.-A. G nr. 63 or. mb. c. sig. pend. delapso in Bücherschrift, die den Character des ausgehenden 12ten Jahrh. zeigt, geschrieben.

Gedruckt darnach im Bull. de la société p. la conserv. des monum. historiq. d'Alsace III, 2, 49 = L. Spach Oeuv. chois. III, 231 u. 386 (a. 1275); F. X. Kraus Kunst u. Alterthum i. Elsaß-Lothringen I, 354, der nach dem Vorgang von Schnéegans (Revue d'Alsace 1850 p. 271) das Stück ohne stichhaltigen Grund dem Bischof Konrad I (1179—1180) zuweist.

a) *B* pretera. b) *B* indulgentiam—optamus auf *Rasur*.